



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispvatio XI. De supernatumlitate visionis Dei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

# DISPV TATIO VNDECIMA.

## De supernaturalitate visionis Dei.

### SECTIO PRIMA.

*Sitne possibilis substantia, cui connaturalis sit visio Dei.*

**L**  
*Bezar dorum  
& Beguina-  
rum error.*



**B**E GARDI & Beguinae, inter alios errores damnatos in Concilio Viennensi sub Clemente quinto, dicebant quamlibet creaturam intellectualem per seipsam posse esse beatam, nec lumine gloriae indigere ad Deum clarè videndum. Ulteriùs adhuc processit Eunomius, qui, ut refert Theodoretus lib. 4. Hæret. Fabularum, affirmabat se nihil de Deo ignorare, imò ipsam Dei substantiam ita exactè cognoscere, ut nec Deus seipsam perfectiùs cognosceret.

**II.**  
*Omni intellectu creato creato supernaturalis est Dei visio.*

Prima Conclusio: Omni intellectui de facto creato supernaturalis est clara Dei visio. Ita Doctores ad unum omnes, & censent esse de fide: inprimis enim saltem quoad intellectus humanos definitum est in Concilio Viennensi & habetur in Clementina *Ad nostrum* de Hæreticis. Univerfim autem de omnibus probatur: nam ad Rom. 6. v. 23. dicitur *stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita aterna*: Si ergo hæc vita seu visio sit gratia, non potest esse debita naturæ, nec per solas illius vires acquiri; sic enim non magis esset gratia quam intellectus & voluntas, aut alia potentia naturales respectu Angeli, vel animæ, aut quam quivis naturalis actus aut scientia, quam naturaliter per suam quis industriam acquireret.

**III.**  
*Hoc ipsum ulterius ostenditur.*

Deinde Mathai II. v. 27. dicit Christus, *Nemo novit Filium, nisi Pater, nec Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*. Clariùs I. ad Timoth. 6. Ubi de Deo dicitur: *Lucem habitat inaccessibleem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*. Hæc autem non de hominibus tantum sed etiam de Angelis intelligenda esse docet S. Augustinus lib. 12. de Civit. Dei, cap. 9. his verbis: *Quæ in Scripturâ sacrâ dicuntur de charitate, gratia, & gloria, quod sint supernaturalia dona Dei, non minus de Angelis vera sunt, quam de hominibus*. Quæ etiam eadem habet lib. II. de Civit. cap. 9. & alibi.

**IV.**  
*Quid de intellectu creato creabili censent nonnulli circa potentiam naturaliter videndi Deum.*

Ulteriùs itaque inquirimus, licet de facto nulli intellectui creato hoc competat, ut nimirum suis viribus clarè videre Deum possit, an saltem divinitus creari intellectus queat, cui connaturaliter competat, ut Deum suis viribus clarè videat. Qua in re Joannes Major in 4. distinct. 49. quæstione quarta, in eam partem propendere videtur, ut hujusmodi intellectus non sit impossibilis: in eadem sententiâ videtur esse Molina hic, quæst. 12. art. 4. & quinto, disp. 2. magis que adhuc ei favet Alarcon prima parte, disp. secundâ, cap. octavo Becanus hic, cap. 9. quæst. 5. Erice etiam disp. 48. cap. 4. num. 63. ait, hoc ob solam auctoritatem esse negandum. Eandem sententiam valde probabilem censet P. Arriaga prima parte, disp. quinta,

sect. septima. Denique P. Ripalda de Ente supernaturali, disp. 23. num. 3. affirmat hanc sententiam sine nota temeritatis defendi posse. Imò Albertinus in 2. Princip. Philosophico, quæst. I. Theol. disputatione octava, eam à multis teneri asserit. Quare non rectè P. Salas hanc sententiam vocat *periculosam*, & Recupitus cum aliis *temerariam*.

*Nullam censuram meretur hæc sententia.*

Contraria tamen sententia, implicare scilicet hujusmodi intellectum, cui connaturaliter debeatur clara Dei visio, est probabilior: ita S. Thomas hic, quæst. 12. art. 4. & 5. ad tertium. Scotus in 2. disp. 5. quæst. 9. Sotus in 4. disp. 48. quæst. 2. a. 4. Suarez lib. 2. de Attributis, cap. 9. Vasquez, hic, disp. 44. num. 3. Ferrara 3. contra Gen. cap. 54. Tannerus prima parte, disp. 2. quæst. 6. dub. 3. n. 4. Granado hic, tract. 4. disp. secunda, num. 7. & alii. Et videtur expressa mens S. Augustini lib. 12. de Civitate Dei. cap. I. ubi sic habet: *Creatura, que potest esse beata, non ex seipsa potest, quia ex nihilo creata est, sed ex illo ex quo creata est*. Cum ergo rationem hujus reddat, quòd creatura ex nihilo creata sit, & quacunque creatura, quantumvis perfecta, ex nihilo creari debeat, nulla ex sua nativâ vi beata esse potest, seu Deum clarè videre.

**V.**  
*Creari nequit intellectus, cui debeatur clara Dei visio.*

Ratio prima hujus rei est, quam hic assert S. Thomas, art. quarto. Quando enim objectum in modo essendi excedit modum essendi subiecti seu potentia, hæc nequit illud vi sua naturali perfecte cognoscere, sed hoc in præfenti contingit; modus quippe essendi Dei, est quòd sit actus purus, quòd sit suum esse, &c. creatura autem omnis vel habet esse in materia, vel saltem est in potentia ad non esse, imò plurimum admixtum habet potentialitatis, compositionis, &c. Ergo modus essendi Dei infinites superat modum essendi omnis intellectus creabilis. Qua rationem ulterius prosequitur, & illustrat Granado hic, Tract. 4. disp. 2. num. 9. 10. II. & 12. & Tannerus citatus, num. tertio.

**VI.**  
*Prima ratio, quòd modus essendi subiecti superet modum essendi potentia.*

### SECTIO SECUNDA.

*Rationes alia ostendentes, claram Dei visionem nulli intellectui creato esse posse connaturalem.*

**S**ECUNDA ratio quam ad hoc probandum semper censui efficacissimam, est: hoc quippe Deum, summamque ejus perfectionem decere videtur, ut nulla creatura connaturaliter, & jure suo exigere illius amicitiam possit, sed ut gratis, & per novum favorem ad eam admittatur. Hoc, inquam, postulare videtur infinita Dei dignitas, & puræ creaturæ, quantumcunque perfectæ, vilitas, summaque à tantâ majestate distantia; ergo visio beata esse illi nequit connaturalis; patet consequentia, hæc

**I.**  
*Alia ratio ducta ab amicitia Dei, quam hæc creatura postulat.*

hæc enim vel reddit hominem & Angelum, cui inest, formaliter gratum & amicum Deo, vel naturâ suâ postulat gratiam habitualem, quam certum est apud omnes, hunc effectum connaturaliter præstare; ergo non est possibilis hujusmodi substantia. Confirm. gratia enim habitualis, & visio beatifica reddunt eos in quibus sunt, filios adoptivos Dei, non videtur autem congruum ut aliqua pura creatura poscat hanc intrinsecam filiationem Dei, sed ut tam singulare beneficium gratuitò accipiat. Conf. secundo: nec enim videtur seruo competere posse ut jure quodam, & ex naturâ sua, domini sui amicus esse postulet, atque ab eo adoptari, idque sine peculiari illius admisione & gratia.

III. Aliud est de Dei omnipotentia.

Dices: non magis dedecet pulchritudinem Dei videri naturaliter à creaturis, quam ejus omnipotentiam ad opera quæque vilissima ab iisdem exigere, quod tamen in rebus etiam imperfectissimis fieri cernimus. Sed contra primò: hoc enim probaret etiam, imperfectissimas creaturas rationales posse connaturaliter Deum videre, cum res quæque imperfectissimæ, illius omnipotentiam ad operationes suas exposcant.

IV. Arguit in Deo perfectionem creaturas petere ejus omnipotentiam.

Contra secundo: Creaturam enim ad suas operationes petere omnipotentiam tanquam partiale illarum principium, & summam in Deo dignitatem arguit, utpote sine quo res creatæ nihil omnino agere possunt, & maximam in creaturis indigentiam, nihilque in hoc vel Deo indignum reperitur, vel excedens sortem creaturæ. Sicut quòd pauper quispiam ope & subsidio Regis, ad vitæ sustentationem indigeat, imò & in extremâ necessitate requirat, nihil arguit contra Regiam dignitatem: at verò si plebeus aliquis jure suo postulare consiliorum Regis esse particeps, intimaque ejus familiaritate frui, hoc absque dubio summæ Regis dignitati haud parum derogaret. Quod magis declarabitur ratione sequente.

V. Implicare videtur ut quis jure suo plenam Dei possessionem exposcat.

Secundo probatur: visio beatifica est vera possessio Dei, per quam ipso fruimur tanquam bono nostro & sine ultimo, nec enim finis noster ultimus est sola visio, sed etiam Deus; ipse namque & à Theologis, Patribus, & Ecclesiâ passim nostrum præmium appellatur: ac Gen. 15. v. 1. dicit Deus: Ego ero merces tua magna nimis. Deus itaque per visionem possessus, est finis noster integer & adequatus. Quod cum ita sit, non videtur fieri posse ut infinita illa majestas alicui personæ creatæ connaturaliter debeatur. Conf. alioqui dicere etiam quis posset, possibilem esse naturam creatam quæ connaturaliter exigat unionem Hypostaticam, cum visio sit æquæ possessio intentionalis Dei, ac unio possessio physica, nec potest evidenter ostendi, si non repugnet exigentia possessionis intentionalis Dei, repugnare possessionem ejus physicam.

VI. Poscere connaturaliter Dei amicitiam est contra naturam servitii.

Tertiò probatur: hoc namque, ut supra dixi, est contra naturam servi, ut scilicet domini sui amicus esse naturaliter postulet. Dices: homo, etiam cum gratiâ & visione Dei, est servus Dei: ergo non obstat quòd ex naturâ suâ, & quasi jure poscat amicitiam; spectat enim ad dignitatem & excellentiam Dei, ut per novum beneficium fiat quis ejus amicus, & non nisi ex peculiari benevolentia: gratia autem est hæc benevolentia, cum naturâ non debeat: si autem esset ejusmodi natura, quæ eam naturaliter postulare, non esset gratia benevolentia & favor, sed debitum; sicut non est favor aut liberalitas in naturalibus, quòd soli detur lux, aut igni calor.

Denique, ut varia quæ in hæc rem congeri solent, maximamque pariunt confusionem, omittam: hæc; quæ à nonnullis assertur, probatio, mihi videtur non incongrua. Rationi nimirum inprimis consentaneum est, Dei que illud dignitas & magnificentia postulat, ut possit omni creaturæ, etiam possibili, beneficia aliqua omnino gratuitò conferre; ergo possibilis esse debet series aliqua donorum, quæ omni naturæ creabili sint essentialiter gratiâ, & omnino indebita; in hac autem serie videtur visio beata: quod enim majus & excellentius donum, quam Deum clarè, & uti est in se, conspiciere?

VII. Decet Deum ut habeat beneficia quodammodo sola liberalitate conferenda.

Nec dicas, posse Deum his, quamvis Deum videant, conferre adhuc visionis & gloriæ augmentum: hoc namque ad summam Dei dignitatem non sufficit; ad ejus quippe excellentiam pertinet, ut possit creaturis gratiam aliquam præstare, qua propriè dicantur egerè, quamque obtinere cupiant; qui autem Deum clarè viderent, beati cum essent, augmento hoc visionis nec indigerent, nec cuperent: sicut de factò Deum clarè videre non desiderant sancti, sed portione illâ beatitudinis essentialis, quam habent, contenti, in eâ conquelescunt. Idem est, si quis dicat, posse adhuc Deum iis dare potestatem patranda miracula, hæc enim & similibus non indigent: constat autem omnes indigere beatitudine. Beatus etiam non eget unione Hypostaticâ, nec petere eam ordinatè possit.

VIII. Non sufficit quòd dare possit visionem, & gloriæ augmentum.

Præterea, creatura hoc modo pustulans videre Deum, esset naturaliter impeccabilis; quod Patres omnes in creaturam rationalem cadere non posse uno ore affirmant. Hæc rationes, meo judicio, valde probabilem reddunt hanc sententiam; rationem enim planè convincentem invenire, haud ita facile existimo.

IX. Implicat partem creaturæ naturaliter impeccabilis.

## SECTIO TERTIA.

Solvuntur argumenta contententia, dari posse creaturam, quæ connaturaliter videat Deum.

OBJICIENS primò: Potest Deus creare intellectum aliquem qui sit æquè perfectus ac totum constatum ex intellectu nostro, & lumine gloriæ; hoc enim totum est perfectionis tantum finitæ, ergo talis intellectus petet connaturaliter videre Deum; id enim præstabit per se, quod intellectus noster simul cum lumine. Contra: potest Deus secundum probabilem sententiam producere aliquod non vivens perfectius aliquo vivente, quale de factò putat P. Hurtado & alii esse cælum, quod aiunt in perfectione superare plantam: imò, ut aliqui volunt, muscam superat, aut formicam, ergo præstare poterit quod præstant hæc, nempe, vegetare, sentire, &c. nulla consequentia. Item creare potest Deus intellectum qui per se solum sit perfectior intellectu nostro simul cum specie Angeli, exempli gratiâ: ergo præstare poterit quod præstat noster, & Angelum intelligere sine specie: quis hoc dicet?

I. Creari potest substantia aliqua æquè perfecta, ac intellectus noster, & lumen.

Résp. ergo, (quicquid dicat Molina, qui hic, art. 5. d. 2. Vult omne accidens supernaturalis, esse quoad entitatem perfectius quacunque substantiâ de factò conditâ (cujus tamen contrarium probabilius censet Suarez Disput. 32. Methaphysicæ, sect. 2. num. 32. Erice hic, disp. 48. n. 40. & alii.)

II. Omne accidens naturale non est perfectius substantiâ naturali.

Respondetur, inquam, substantiam Angelicam de facto esse vel æquè perfectam, vel perfectiorem intellectu nostro, maxime si sit potentia accidentalis, simul cum lumine gloriæ; quidni enim formalitas substantiæ in Angelo æquè compensare poterit formalitatem supernaturalitatis, sicut formalitas causæ universalis aut aliã in cœlo compensat formalitatem vitæ in plantã, aut formicã: Cùm tamen perfectio hæc crescat in diverso ordine, non sequitur posse connaturaliter videre Deum, hoc enim proprium tantum est substantiæ ordinis supernaturalis; qualem nullam posse dari, jam ex parte ostendimus, & postea fufius ostendemus.

III. Res perfectior non semper producit effectum perfectiorem.

Quæres, in quo statuamus majorem perfectionem illius causæ; posito enim quod sit perfectior conflato ex nostro intellectu & lumine, assignari debet in quo situs sit hic excessus. Dices, in hoc quod ei connaturaliter debeatur visio beata. Contra: illi conflato non minus debetur connaturaliter; intellectus enim humanus informatus lumine gloriæ, non minus petit concursum ad visionem beatam, quam aliæ causæ ad suas operationes. Resp. itaque, non semper quando causa est perfectior, debere posse producere effectum perfectiorem; mulus enim est perfectior igne, & Angelus homine; hic tamen producit hominem, cui effectum in perfectione parem producere nequit Angelus, nec parem igni mulus.

IV. Modus habendi juvat plurimum ad perfectionem.

In primis ergo, major illa perfectio in hoc sita est, quod hæc substantia haberet prædicata illa identificata, quæ complexum ex intellectu nostro & lumine habet in duabus entitatibus realiter distinctis: modus autem habendi multum juvat ad perfectionem, ut in materia de Incarnatione, Deo dante, probabo: ubi ostendam, licet humanitas Christi sanctificetur per ipsam sanctitatem verbi, eam tamen non esse tam sanctam quam verbum, quia non habet sanctitatem illam secum identificatam, sicut habet verbum, sed per unionem realiter distinctam. Secundò: perfectio hæc major consistere potest in eo, quod hæc substantia, actus, vel beatificos, vel alios clicere posset in substantiali, ut aiunt, perfectione excedentes actus animæ informatæ lumine gloriæ, sicut jam ponunt plurimi substantialem diversitatem inter actus animæ separatæ, & Angeli, licet in intensione graduali conveniant. Tertiò: quia hæc substantia haberet lumen substantiale, cum tamen lumen in hoc complexo tantum sit accidentale.

V.

Hæ rationes, præsertim prima & tertia, suppo-

nunt hanc substantiam non solum radicaliter petituram lumen gloriæ, sed in se futuram ipsum lumen, cum fiat comparatio inter ipsam & animam habentem lumen, seu cum hoc complexo; si enim fiat comparatio inter illam, & animam nudè sumptam, facile est assignare in quo consistat major illa perfectio: primò enim urget secunda ratio numero præcedente assignata: deinde esset substantia completa, anima incompleta, & omnes illas differentias haberet perfectionis, quæ intercedunt inter animam & Angelum. Tertiò, lumen gloriæ, & aliæ qualitates supernaturales ei connaturaliter deberentur, animæ autem non dantur nisi gratuito. Quartò: naturaliter eliceret visionem beatificam, non minus quam potentia visiva corporea suos actus, anima autem illam elicit solum obedientialiter: & multæ aliæ differentie excogitari facile possent.

In quo substantia naturaliter visiva Dei excederet intellectum nostrum lamine gloriæ.

Objicies secundò: gratiæ habituali debetur lumen gloriæ, utpote cui debetur gloria, cum sit semen gloriæ: cui autem debetur finis, debentur media. Item unioni Hypostaticæ debetur gratia, lumen gloriæ, & aliã hujusmodi dona supernaturalia: quare ergo non potest dari natura aliqua substantialis completa cui hæc connaturaliter debeantur. Resp. disparitatem esse, accidentia enim hæc, & unio Hypostatica sunt dona quædam gratuita, simpliciter naturæ superaddita; unde non sequuntur inconvenientia supra posita, sunt enim ipsæ rationes formales, quibus Deus gratuito confert alicui subjecto amicitiam suam, & filiationem, vel adoptivam, vel naturalem; inconveniens autem est, quod aliquod subjectum, seu natura, hæc possulent, ita ut Deus non possit amicitiam suam & filiationem tanquam beneficium, & gratuito illi conferre; hoc enim dedecere videtur perfectionem Dei, & illius magnificentiam.

VI. Cur dari nequeat substantia supernaturalis, sicut accidens supernaturalis.

Objicies tertio: Accidentia supernaturalia (idem est de modis supernaturalibus) postulant aliquod subjectum à quo specificentur, & in quo subsistentur, cum non minus sint verè accidentia, & consequenter entis entia, quam accidentia naturalia: sed non possunt postulare subjectum naturale, & dicere ordinem ad illud: ergo postulant subjectum supernaturale. Respondetur, hæc accidentia respicere subjectum naturale, cum certum sit, ea subsistenti in ipsa substantia animæ, & Angeli. Imò hinc optime dici possunt supernaturalia, ut ex ipsa voce constat. In quo autem situs sit conceptus supernaturalitatis, dicitur Disputatione sequente.

VII. Accidentia supernaturalia respiciunt subjectum naturale.

